UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXXV. De statu Monachorum & Canonicorum Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

tur inter evidenter æqualia unum altero non eſſe gratius, probabilius tamen ſentiunt alij, ſuperioris auctoritatem neceſſariam eſſe ad commutandum in evidenter æquale, cùm magis videatur Deo placere ſincera fidelitas in præſtandis promiſſis, quàm rei æqualis præcisè bonitas; per profeſſionem tamen religioſam omnia alia vota, etiam reſervata, etiam novitiatûs tempore facta, etiam facta cum licentia ſuperioris, ſive ſint perſonalia, ſive realia, perpetua, vel temporalia &c. extinguuntur, ipſo jure, tam Eccleſiaſtico, quàm divino, prout ſumitur ex *c. ſcriptura. 4. h. t.* & excellentia profeſsionis religioſæ perpetuo vinculo Deo obligantis probat.

§. VI.

An & qua ratione commutari poſſit votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, & à quo relaxari?

LOquitur hic Titulus de voto peregrinationis Hieroſolymitanæ in ſubſidium Terræ Sanctæ ad liberandam eam à jugo infidelium, de quo voto cujus hodie vix uſus eſt, vix alij diſpenſare poſſunt, quàm Summus Pontifex. Videantur de hac materia *c. magna, 7. c. quod ſuper 8. c. ex multa 9. & c. Poſtulaſti 11. h. t.*

TITULUS XXXV.

DE STATU MONACHORUM ET CANONICORUM REGULARIUM.

MUlta in hoc Titulo ex variis Capitulis de obligationibus Capitulis, viſitationibus, correctionibus regularium &c. de receptione, & clauſura monialium &c. referuntur, & ab auctore Methodi, per ſeptem paragraphos explicantur, quia tamen praxis, & uſus horum ad regulares præcisè ſpectat, & multa per Tridentinum correcta ſunt, eorumque obſervatio magis ex regulis Regularium, & particularibus ſtatutis ac conſuetudinibus dependet, quàm ex jure communi, hinc non videtur ulterior eorum facienda mentio. Viderint illi, quorum intereſt, quæ de jure ſint pro illis ſtatuta.